



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXI. Gregorii Papae I. Ad Rvsticianam Patriciam. Reprehendit illam a voto visitationis sanctorum locorum deflexisse, & de insidiis Passiui agit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

latenius respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuae testimonio literarum, ad nos sacramentus occurrat. Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus (quod euenire non credimus) potuerit inueniri. Proutifurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conuersationis meritum laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui (quod absit) incurras.

Grat. libro
61. cap. 11.

EPISTOLA XX.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM NEPESINVVM.

Visitationem Nepesinæ iniungit ecclesiæ.

Gregorius Ioanni episcopo visitatori Nepesinæ ecclesiæ.

QVONIAM Paulo fratri & coepiscopo nostro Neapolitanæ ecclesiæ visitationis operam iniunximus, idcirco fraternitas tua visitationem ecclesiæ Nepesinæ non defistat assumere, quatenus exigente paschali festiuitate, quidquid sacrorum solennitas poscit, te operante modis omnibus impleatur. Donec igitur quid de persona prædicti fratris & coepiscopi nostri agendum sit deliberare possimus, ita in cunctis te fraternitas tua solerter vigilanterque studeat exhibere, ut prædictus vir absens nullo modo sentiatur.

Mense Aprili, indictione decima.

EPISTOLA XXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD RVSTICIANAM PATRICIAM.

Reprehendit illam a voto visitationis sanctorum locorum deflexisse, & de insidiis Passiui agit.

Gregorius Rusticianæ patriciae.

EPISTOLAM excellentiæ vestræ suscipiens, votiuo sum incolumitatis eius nuntio releuatus, optans ut vitam actusque vestros sua Dominus misericordia protegat &

disponat. Valde autem miratus sum cur deliberata via eundi ad loca sancta intentionem & votum boni operis deflexistis; dum si quando bonum aliquod dono conditoris in corde concipitur, celeri necesse est deuotione compleri; ne dum callidus insidiator animum irretire nititur, subinde impedimenta suggestat, quibus ad effectum minime desideria sua mens occupationibus debilitata perducat. Vnde necesse est excellentiam vestram omnibus impedimentis piis causis obuiantibus anteire, & ad fructum boni operis totis cordis nixibus inhiare, vt & in praesenti saeculo tranquille viuere, & in futuro caeleste regnum valeat possidere. Illud autem quod scripsistis Passuum contra vos alias molitum fuisse calumnias, piissimos vero imperatores non solum libenter non audisse, sed etiam asperre suscepisse: cuius hoc fuerit donum perpendite, & ad eum, qui hominibus in hoc saeculo ne quantum appetunt nocere valeant potenter obuiat, totam spem mentis inflectite: quatenus prauas hominum voluntates brachii sui oppositione reuerberet, conatusque eorum ut confuerit misericorditer ipse confringat. Gloriosum dominum Appionem, & dominam Eusebiam, dominum Eudoxium, & dominam Gregoriam, mea per vos deprecor vice salutari.

EPISTOLA XXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM RAVENNATEM.

Commendat episcopos longe a se positos.

Gregorius Ioanni episcopo Rauennati.
Ioan. disc.
libro 4. cap.
9.

DOMINICIS mandatis præcipimur proximos sicut nos metipso diligere, eorumque languoribus tamquam propriis infirmitatibus condolere. Quorum memor fraternitas vestra competenti sibi more Castorium fratrem coepiscopumque nostrum & prius compassione habita studuit visitare, & eum postmodum pro excrescenti molestia corporis in Rauennati vrbe suscipere. Vnde non solum nos impensa caritatis, sed & Deum vobis fecistis procul dubio debitorem, cui in fratriis infirmitate condoliisse probamini, ipsumque ægrum in sui membra molestia, non solum